

dissimilia sunt, sed secundum continentiam causalem seu radicalem per substantiam potest proprie cognosci propria passio, quia est radix illius, et radicaliter ipsamet passio, sic consideratur Deus cum majori eminentia respectu creaturarum tamquam causa continens eas. Ad locum autem D. Thomæ ex primo sententiarum respondetur, quod requirit expressivam similitudinem Dei ad creaturas, sed non immediate repræsentantem illas, sed mediate, id est, mediante essentia divina tamquam objecto primario, et immediate repræsentato, interquam, et creaturas non est formalis similitudo, et convenientia, sed eminentialis per modum virtutis, et causæ.

XXVI. Ad secundam confirmationem respondetur quod cognitio in alio non est discursiva si simul, et unico intuitu totum videtur, tunc enim comprehensione cognoscit plura, sed quando uno viso adhuc aliud non cognoscitur, sed oportet deduci per illationem, et consequentiam, et consarcinari ex pluribus cognitionibus, quia non in ipsa re visa statim intelligitur; si autem viso uno statim aliud cognoscatur non est discursus, ut docet S. Thomas in præsentī articulo septimo et manifeste patet in visu externo, qui non discurret, et tamen in speculo rem videt. Similiter cognitio in alio imperfecta, et non attingens existentiam rei erit abstractiva, si autem perfecte attingat in alio rem aliquam etiam quoad existentiam, intuitiva erit illius, quia intuitio non sumitur ex medio, per quod fit visio, sed ex termino, qui attingitur, scilicet si attingatur existentia rei, in Deo autem perfectissime existentia rei attingitur, quia ab eo causatur. Secundo arguitur argumento jam supra insinuato, et quod pro hac sententia sæpius urgetur. Nam divina essentia non ha-

bet connexionem cum creaturis: ergo non potest ex vi divinæ essentiae tamquam per medium cognitum attingi certo, et infallibiliter creatura. Consequentia est certa, quia nullum objectum deservit, ut medium ad cognoscendum aliud, nisi in quantum habet connexionem aliquam cum illo, et si est medium cognoscendi certo debet habere firmam, et certam connexionem. Antecedens probatur, quia si essentia divina haberet connexionem necessariam cum creaturis, ex destructione veritatis creatæ sequeretur destructio veritatis divinæ, sicut ex destructione consequentis destruitur antecedens. Hoc autem fieri non potest, quia veritas divina major est omni creata etiam possibili, nec potest ex destructione illius destrui: vel enim comparamus divinam essentiam ad creaturas posibles, vel ad futuras: si ad posibles, manifestum est, quod ex destructione possibilitatis illius creaturæ non sequitur destructio omnipotentiae divinæ, alioquin dependeret omnipotentia Dei a possibilitate cujuscumque creaturæ in singulari; neque esset firmioris veritatis divina omnipotentia, quam veritas cujuslibet creaturæ possibilis; ergo non habet omnipotentia Dei necessariam connexionem cum qualibet creatura in singulari, et sic non potest manifestare illam. Quoad futuras probatur, quia Deo liberum est producere illas; ergo non habet per se connexionem necessariam cum illis. Neque potest dici quod habent per se connexionem cum decreto libero Dei, quia liberum decretum si sumatur quoad substantiam potest salvari sine volitione determinata hujus creaturæ in particulari. Si vero sumatur quantum ad determinationem ad istam creaturam, est determinatio quædam extrinseca, et aliquid rationis, quod

non potest esse medium ad cognoscendum ens reale quale est creatura, quin potius ab ipsa creatura volita sumitur denominatio volitionis liberæ.

XXVII. Confirmatur ex p. Lessio, quia Deus multa cognoscit cum quibus non habet connexionem, scilicet peccata; ergo saltem illa non potest mediante sua essentia attingere. Nec potest responderi quod attingit peccata in sua permissione, quia permissio non habet infallibilem connexionem cum peccato nisi mediante defectibilitate causæ secundæ, quam permittit, et relinquit deficere, et sic permissio solum se habet, ut conditio sine qua non, sicut removens prohibens, et ita ratio formalis connexionis cum peccato non devolvitur ad ipsam permissionem, ut ad radicem, sed ad defectibilitatem causæ deficientis, et sic in illa videbit Deus peccata non in se. Et urgetur hoc in sententia Thomistarum, qui non ponunt scientiam mediam, per quam Deus videat determinationem voluntatis creatæ ante decretum suum immediate in ipsa voluntate creaturæ. Unde cum decretum permissivum non habeat infallibilem connexionem cum peccato ratione sui, sed ex reductione ad causam deficientem, sequitur quod Deus non habeat in se principium ad videndum infallibiliter peccatum, sed debet illud videre immediate extra se. Ac denique confirmatur ex D. Thoma qui in hac quæstione, articulo decimo ad quartum inquit, quod cognoscere aliquid per aliud tantum est imperfectæ cognitionis, si illud sit cognoscibile per se, sed creaturæ sunt per se cognoscibiles cum per se sint entia, et a nobis cognoscantur, ergo imperfecta erit divina cognitio, si eas tantum cognoscit per aliud, id est, per suam essentiam.

XXVIII. Ad hoc argumentum late respondimus supra disputatione xv, art. iii, nam quod attinet ad res posibles habent sufficientem connexionem, ut videantur mediante divina essentia, quæ connexio ex parte creaturarum est connexio dependentiæ, ex parte autem divinæ essentiae est connexio consequentiæ, seu eminentiæ, qua facit res a se omnino, et necessario dependere sine dependentia sui, sicut causat mutationem, et contingentiam in rebus sine mutatione, et contingentia in se. Et quomodo idem argumentum, et inconveniens debeat solvi in ipsa repræsentatione, qua divina species repræsentat creaturas, ibi ostendimus: quam repræsentationem pater Vazquez non negat, nec potest negare, qui fatetur in Deo dari ideas creaturarum, quæ sine repræsentatione dari non possunt. Et tamen hæc repræsentatio (quæ in Deo necessario datur cum sit ipse Deus) si redderetur impossibilis creatura, vel tolleretur, vel falsificaretur. Similiter ergo tolleretur omnipotentia sublata possibilitate, creaturarum non propter dependentiam sed propter consequentiam creaturæ possibilis a potentia Dei, et dependentiam creaturæ a Deo, non e converso. Quia scilicet non potest creatura aliqua reddi impossibilis nisi ex ablatione omnipotentiae divinæ, non autem ex ablatione alicujus rei creatæ positivæ, quæ non datur in rebus ipsis possibilibus, quia impossibilitas, vel possibilitas est denominatio extrinseca proveniens a potentia, vel impotentia agentis. Unde non potest impossibilitas oriri nisi ex ipsa diminutione, vel mutatione potentiæ, ex qua res denominabatur possibilis, sicut loco citato expendimus. Et cum instatur, quod ex destructione consequentis sequitur destructio antecedentis, non potest autem ex des-

structione veritatis creatæ destrui veritas divina. Respondetur, quod quando veritas minus perfecta, et firma derivatur a veritate firmiori, et perfectiori, bene potest ex destructione inferioris sequi destructio superioris, non propter dependentiam superioris, sed propter consequentiam, quia licet non dependeat ab inferiori, essentialiter tamen petit, ut inferius dependeat a se, et consequatur a se, ita quod si tollatur ista dependentia, et consequentia illud superius destruetur, quia ex sua natura id postulat, sicut si modo de facto daretur aliqua creatura existens independentem a Deo, tolleretur potestas divina, quæ essentialiter petit, ut omnia dependeat a se. Et si tolleretur denominatio extrinseca visi, necessario deberet tolli ipsa visio, licet denominatio extrinseca non sit entitas realis, sicut est ipsa visio. Ac denique non omnis connexio necessaria est dependentia, et imperfectio sicut Personæ divinæ necessario sunt connexæ sine ulla dependentia: ergo etiam datur in Deo connexio eminentialis cum creatura possibili, sine dependentia ex parte Dei, sed solum dependentia ex parte creaturæ, derivata tamen seu consecuta necessario ex parte Dei supposita ejus omnipotentia. Et de hac solutione videri potest D. Thomas quæstione II de veritate, art. III ad XI, ubi dicit: « Quod sicut si punctum diminuat in actu a quantitate lineæ non perit quantitas lineæ, si tamen diminuat, quod lineæ sit terminabilis ad punctum perit substantia lineæ, sic etiam nihil deperit a Deo si creaturæ non ponantur in esse, deperit tamen si auferatur ab eo potestas producendi creaturam. » Constat autem, quod auferatur potestas producendi lapidem si lapis redderetur impossibilis, quia non potest intelligi, quod creatura impossibilis per aliquam mu-

tationem sui, sed per mutationem potentiæ a qua oritur illa denominatio, de quo iterum disputatione supra, articulo I dicemus, et vide dicta supra, disputatione XV, articulo III.

XXIX. Ad id quod dicitur de futuris infra respondebitur disputatione XIX, interim sufficit dicere, quod neque ipsa substantia decreti liberi nude, et seorsim considerata, neque respectus rationis seorsim consideratus est medium cognoscendi futura, sed ipsum decretum seu actus divinæ voluntatis, quatenus fundat talem terminationem erga creaturas, quam nos per respectum rationis explicamus. Est enim actus liber Dei tantæ efficaciam, et perfectionis in se quod potest creaturas velle aut nolle sine ulla mutatione in se vel dependentia ab illis, cum summa tamen dependentia creaturarum ab eo. Et hoc sufficit ad connexionem necessariam, quæ ex parte unius extremi, scilicet creaturæ se habet per modum dependentiæ, et ex parte Dei per modum consequentiæ, et eminentiæ. Imo quanto est minor dependentia ex parte causæ, magis habet manifestare effectum, quia perfectius continet illum et profundius in eum influit, sibi que eum connectit. Unde ad manifestandos effectus magis conducit in causa connexio sine dependentia et relatione reali ad effectus, dummodo tamen effectus maxime dependeat ab illa.

XXX. Ad confirmationem p. Lessii respondetur, quod decretum permissivum, licet non sit radix peccati, habet tamen infallibilem connexionem cum illo non infallibilitate influxus, et causalitatis, sed consequentiæ; sicut enim ex suspensione divini concursus quantum ad esse sequitur necessario annihilatio creaturæ, ita ex permissione peccandi, quæ est suspensio concursus

DISPUTATIO XVIII.

DE SCIENTIA SIMPLICIS INTELLIGENTIÆ.

ARTICULUS I.

Quid sit scientia simplicis intelligentiæ, et circa quid versetur?

I. Celebris apud theologos est divisio scientiæ divinæ in scientiam simplicis intelligentiæ et visionis. De qua divisione D. Thomas hic articulo IX dicit: « Quod respectu eorum, quæ non sunt, nec erunt, nec fuerunt non habet Deus scientiam visionis, sed simplicis intelligentiæ. » Quam distinctionem scientiarum etiam ponit in primo contra gentes, cap. LXVI, in fine et quæstione XX de veritate, articulo IV ad primum.

II. Cur autem scientia quæ versatur circa quidditates rerum in statu pure possibilitatis appelletur scientia simplicis intelligentiæ? Ratio sumi potest ex D. Thoma quæstione III de veritate, art. III ad VI, ubi inquit: « Quid simplex notitia dicitur non ad excludendum respectum scientiæ ad scitum, qui inseparabiliter omnem scientiam comitatur, sed ad excludendum admixtionem ejus quod est extra genus notitiæ sicut est existentia rerum, quam addit scientia visionis, vel ordo voluntatis ad res scitas, quem addit scientia approbationis. » Sic D. Thomas. Dicitur itaque simplex intelligentia illa quæ pure se tenet intra limites cognitionis, nec aliquid admiscet, vel connotat supra lineam cognitionis, vel de respectu voluntatis, vel de respectu coexistentiæ ipsius objecti sub eadem duratione cognitionis. Unde colligitur quod visio seu intuitio formaliter loquen-

et auxilii ad bonum, infallibiliter sequitur defectus in operando non per modum influentiæ, sed per modum remotionis causæ prohibentis sicut ex remotione columnæ sequitur casus lapidis, de qua solutione, et aliis ei annexis plenius dicemus infra, disputatione XIX, art. III et disputatione XX, art. V. Nec tamen talia decreta sive positivum quoad entitatem actus, sive permissivum quoad defectum tollunt libertatem nostram efficaciam suam, quia hoc commune est omnibus decretis divinis, ut dicemus infra, quæstione XIX, art. VIII et disputatione XX, articulo ultimo, quod quia efficaciam eorum fundatur in causalitate universalissima Dei, quæ non solum causat substantiam et existentiam actus, sed etiam modum libertatis vel necessitatis, et quidquid in tali actu est, ideo talis efficaciam non potest tollere libertatem, sed magis causare, et radicare. Denique, ad id quod affertur ex D. Thoma articulo X hujus quæstionis, scilicet imperfecte aliquid cognosci per aliud si per se sit cognoscibile, sensus est quando cognoscitur per aliud si per se sit cognoscibile, sensus est quando cognoscitur per aliud, in quo continetur minus perfecte et proprie, quam in seipso: si autem cognoscitur per aliud quod magis perfecte, et proprie continet ipsum, quam sit in se, sic non imperfecte cognoscitur, si cognoscat per aliud. Divina autem essentia perfectissime continet omnem creaturam tamquam ratio propria, et causa per se, licet suprema, et eminentissima, uniuscujusque secundum quod est participabilis ab ipsis, ut dicit Div. Thomas hic articulo VI ad tertium.